

SPECIMEN INAUGURALE
DE
SCORBUTO,

(180)

QUOD,

Venia Experient. Ordinis Medicor.

In Reg. Acad. Upsaliensi,

SUB MODERAMINE

Illusterrimi Viri

D_{:NI} D_{OCT.} CAROLI
à LINNÉ,

S. R. M. ARCHIATR. Eq. AUS. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN.

PROF. R. O. ACAD. PARIS. PETROPOL. IMPER. N. C. HOLM. UPS. LOND.

ANGL. FLOR. BEROL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINB. ROTER. NIDROS.

CEIL. PHILADELPH. ZELAND. MEMBRI. ET FACULT. EDINB. ASS.

*Pro summis in Medicina honoribus
rite capeſſendis*

Publico examini submitit]

Auctor

ERNESTUS D. SALOMON,

Ad Cohortem Prætoriam Pedestrem Chirurgus primarius.

D. 22 Novembr. MDCCCLXXV,

Horis ante & post meridiem consuetis.

UPSALIÆ,

Apud Joh. EDMAN, Regiæ Acad. Typogr.

SCAMANDRO

LEONARDO DA VINCI

Morborum vix ullus tot hominum clades edidit, tantumque inter Medentes dissensum introduxit, quam qui *Scorbuti* nomine jam ubique notus est. Dirum enim hoc malum totas s^epe regiones, urbes, exercitus, naves, miserandum in modum adflxit, Medentumque s^epius, haud aliter ac ipsa pestis, elusit curam. *Hippocrati* a) vel Ἐιλεος ἀματίης, vel passim b) Lien magnus (*σπλην μεγας*) dictus fuit, quemadmodum se eruisse putant Scriptores Medici. Nec *Plinio* ignotus fuit, quatenus castrensem morbum, exercitum Romanum C^aesaris Germanici admodum male habuisse docet, qui σορακαιη vel σκελοτυρη Medicis dicitur c). Strabonem & ceteros Medicos, qui *Hippocratem* auctorem presso pede secuti sunt, ut reticeant. Quamquam vero ex relictis descriptionibus *Scorbuti* symptomata quædam generalia, quæ antiquitatis suspicionem dederunt, deponi possint: ob insufficientes tamen notas, easque aliis morbis plurimis communes, novum hunc morbum & ante Secul. XVI vix auditum pronunciare non dubitarunt scriptores neoterici, *Forestus*, *Citesius*; novissime *Freindius* & *Sauvages*. Verisimile videtur *Scorbutum* ab antiquissimis temporibus, æque ac nunc, humano generi fuisse infestum: sed cum in regionibus calidis mitior sit, & nostra vivendi ratio a proavorum maxime discrepet, atque ars navigandi ad summum, quo nunc est, fastigium provecta non fuerit, d) graviora

a) Lib. de Int. Affect. Edit. Fœsi p. 557.

b) Porrheticor. Lib. 2. p. III. Lib. de affect. p. 521. Lib. de Aëre, Aquis & Locis p. 282. & passim.

c) Histor. Natur. Lib. 25. Cap. 1. edit. Dalecampii.

d) In nave Cl. *Vasco de Gama*, qui A:o 1497 omnium primus

ra hujus morbi Symptomata medentibus forte sese non obtulerunt. Huc accedit Médicina prisorum, in incubabulis quasi, cum infirmitate sua luctans, ad adcuratas Morborum descriptiones, nostro ævo profuturas, minime apta. Id vero indubium est, quod nomen *Scorbuti* jam usitatum, a Belgis mutuo sit sumptum, apud quos *Schaarboek*, *Jeborbuik*, *Schorbeck* vel *tormina ventris*, vel *malum* denotare putatur, quod præcipue ostorquet, adeoque cum *Plinii Stomacace* apprime convenire videatur.

§ II.

Quemadmodum regiones variæ suis præcipue infestantur morbis, in aliis aut levioribus aut plane ignotis: ita Scorbustum sub frigidore Iove, proprium domicilium habere, vulgo creditur. Opinionis forte ansam dedit Scorbutorum in Terris Septentrionalibus subinde observata multitudo, vel morbi, accidente frigore, insinuauerat vehementia. Scorbustum vero non Endemium esse demonstrant Observatorum scripta. Etenim si frigus ad Scorbustum excitandum maxime conferret, incolæ regionum, quæ Polis propiores sunt, morbo quoque gravius laborarent, quam qui Zonam temperatam inhabitant. Sic enim Lappones, Islandi, Groenlandi, Kamtschadalenses, Patagones & incolæ Terræ Ignis horrenda

viam ad Indianam orientalem circa Promontorium Bonæ Spei detexit & instituit, Scorbatus quoque maritimus primo innotuit, isque adeo malignus, ut ex nautis 160, centum perirent. Nec sine commiseratione legi potest relatio itineris *James Carrier* ad Newfoundland & Canadam A:o 1535 instituti, ubi Scorbustum ut Pestilentiam morbum graphicè depinxit; Malum hoc iis antea inauditum 25 homines jugulavit, reliqui omnes graviter laborantes, Divinam misericordiam implorantes & tandem, fortuito cesu, a foliis herbæ cuiusdam sanati fuerunt. Videsis plura apud *Lind* Treatise on Scurvy.

renda mali cruciamina vix evitare possent, eaque tanto graviora, quo cœlum inclementius apud eos est. Navigatorum vero experientia edocemur, Scorbustum sub Zona torrida æque communem esse, dum moderata aëris temperie, pluviis, tranquillo mari & ventorum inopia premuntur. Sic nautas in expeditione classica Illustr. Anson, prope terram Mexicanam fatalis Scorbutus præcivitavit; e) & in Hungaria, Italia, Saxoniam, interdum sævissime & epidemice graßatur, dum frigus aut nullus est, aut certe moderatus f). Hinc Cramerus opinionem eoruin damnat, qui terras ad Septentrionem sitas, huic malo maxime esse opportunas existimant, si quidem vix durante hieme, sed imprimis vernali & autunni tempore, Scorbustum sævire obſervavit g). Negari quidem non potest, rigidorem hyemem Scorbuto correptis, vel semina quasi mali occultantibus omnino esse perniciosa, eique ingravescendi anſam subministrare: sed Scorbustum tamen apud Britannos, Batavos, Svecos Danos, Norvegos, ceteros boreales, Endemium esse morbum Bærbævio h) minime concedimus. Et si locis jam nominatis sporadice & forsitan frequentior, quam sub calidiori climate, invenitur, id nec unice frigori, sed tempestatum indoli variabili & vivendi hominum rationi, seu dixæ, potius est tribuendum. In genere vero notandum, tam in nostris regionibus, quam aliis, malo huic maxime opportunos esse eos, qui vitam sedentariam agunt, vel qui laboribus non occupantur sudori ciendo accommodatis, ut Eruditi, artifices nonnulli, Textores, Sartores, Milites & Nautæ incuriosi; nec iis parcit, qui

A 3.

febribus

e) Voyage round the World. Part. 3. C. 2.

f) Backstrom obſerv. circa Scorbutum. In Collect. Dissert. Med. Heller. Tom. 6.

g) Dissertio Epistolica de Scorbuto.

h) Aphorismi de Cognosc. & curand. morb. §. II 50.



febribus quibuscunque & præsertim intermittentibus laborarunt. Tabaci fumatores, & imprimis eos, quos antea Scorbatus male habuit, haud raro incurrit, ut ex observationibus *Crameri, Anson, Rouppii* ⁱ⁾ constat. Contagio quidem non magis ad alios transit Scorbatus, quam reliqui morbi epidemici; interim a tetro odore, quem spargunt miseri afflitti, & aëre halitu eorum inquinato maxime vexantur ii), quorum inter ægrotos continuè versari dira cogit necessitas; & quamquam a corrupto aëre Scorbuti symptomata non contrahunt sani ac vegeti, humores tamen eorum ad putredinem ita disponit omnis aer mephiticus, ut ad plurima alia mala, febres præsertim putridas fiant procliviores. Scorbutum nihilominus saepius epidemice grislantem observarunt Medici; ^{k)} & in expeditionibus classicis epidemice semper fere noxam inferre solet.

§ III.

Ad morbum hunc vere Prothei-formem dignoscendum requiritur, ut Symptomata, quibus sæpissime stipari solet, eo ordine recenseamus, quo invadere ea homines ut plurimum observatum est: ad signa dein confirmati mali, vel ad summum gradum proiecti, transeamus. Sed inter initia notandum, non omnia signa apud omnes semper adesse, sed insigniter, pro diversa subiecti vel causarum ratione variare ^{l)}.

I: Stadium: Adgrediens autem Scorbatus hominem pigmentum seu ad motum legnum & pusillanimum reddit; æger somnum querens, labores & sanorum consortium studio vitat. Facies ei pallida est vel subflava, carunculae oculorum nec non oris labra rubrum suum colorem in viridescen-

tem

i) Liber de Morbis navigantium,

k) Brabandia A:o 1556, Belgia 1562, Hungaria 1720, Parisiis 1699
Saxoniæ, in obsidione, a Svecis instituta, urbis Thorn. &c.

l) Non piget heic Illustr. *Ansonii* testimonium adferre. Scorbuti-

tem transmutant. His vero tantum abest, ut facies emarcescat, ut potius tumidula & præsertim palpebræ inferiores, post somnum, matutino tempore, observentur. Admodum difficile spiritum trahit. Mox genua rigidæ, ad minimum motum debilia; & ne quid ei molesti defit, gingivarum tumor, sensim increscens, manducationem impedit. Incremente paululum morbo, dentes elevantur & vacillant; & tumefactæ jam gingivæ, spongiam instar increscunt, lividum colorem induunt, cruentantur; putrescant, simulque cum anima teturum odorem spirant. Hæc communia in Scorbuti initio sunt; si vero febre aut alio morbo laboravit æger, in gingivis prima mali indicia apparent; sic etiam, si a casu externo, vulnus, fracturam vel contusionem perpessus est, infirmum primo membrum corripitur. Postea cutis, quæ semper sicca & lœvigate sentitur, maculis conspurcatur mox rubris, dein lividis vel tandem nigricantibus, in suras & feminia maxime conspicuis & ad variam magnitudinem incrementibus. Haud raro etiam his locis cuticula in squamas abit & discedit. Sed jam recensisitis longe difficilior est dolor, qui semper Scorbutum comitari solet, & modo Dorsum, modo Tibias, vel etiam Pectoris aliquam partem cum anhelatione & tussi torquet: fixus interdum, vagus sæpen numero, nunc ostocopum, nunc Pleuridem notham^{m)}, Rheumatismum, Ischiadem, vel aliud morbum topicum mentitur. Æger adhuc locum reddit coloratum, spumosum & cito putrescens, cui pinguis pellicula & coloribus variegata supernatat.

Sangvis

symptomata (inquit) inconstantia pariter ac innumerabilia fere sunt; progressus vero & effectus summe anomali; etenim vix duo ægri de iisdem malis querelam habuerunt & si qua symptomatum conformitas interdum observata fuerit, mali invadendi modus & ordo inter omnes Scorbuticos in totum discreparunt..

^{m)} Lind. p. 158..

Sangvis e vena missus, glutinosus & spissus videtur. Si cito alvus supercedat, id quod descendit, putridi odo-
ris esse solet. Ingravescente morbo jam graviora plera-
que sunt symptomata, ut in præcipiti rem esse scias.
Etenim ad levissimum corporis motum in Syncopem
delabuntur miseri, & quod haud raro accidit, dum e
lectulis surgentes, libero aëri se exponunt, subita morte
animam reddunt *n*).

II. dum Stadium. Sed iis, quibus tragicam scenam ad
finem perducere sors est, jugiter accidit, ut dolores ubi-
que vagantes juncturis genuum præcipue figantur; genicula
tumeant, ex Musculis flexoribus ita clausis, ut tali versus na-
tes retrahantur. Quorundam crura insigniter quoque tume-
escunt & ecchymosi maculantur, vel naturæ quasi proprio
conamine, putridam ejiciendo sentinam, foedis ulceribus
conspurcantur. Interdum etiam mitum in modum crura
Scorbuticorum, manente figura & doloris sensu, lignorum
instar obdurescunt *o*) Fraœ ossa & Vulnera ante 50 annos
sanata iterum dissolvuntur & recrudescunt, pariter ac si no-
vo casu essent inflicta *p*). Decidunt dentes & gingivæ pu-
trescentes gangrænam admittunt; supercedit crebrior
sputatio, malum insigniter augens *q*). E variis corporis
partibus crux facile fertur, ut e naribus vel exæsis gin-
givis; sæpe cum tussi exit, vel evomitur vel cum lotio red-
ditur,

n) Plurima mortis repentinæ exempla apud auctores passim ob-
veniunt: inter omnia memorabile quoddam apud Lind p. 163. In
Itnere Illustr. Anson legitur: haud raro nobis (verba sunt aucto-
ris) evenit, ut nautæ, qui adhuc officio suo aliquomodo fungi, &
in superiori navis parte (the deck) ambulare potuerunt, subito
collapsi animam efflarent. Nautarum ex classi nostra permulti hoc
mortis genere perierunt.

o) Lind. p. 163. Rouppe. p. 153.

p) Memorabilia hujus phænomeni plura exempla ex III. Ansoni Itine-
re deponi possunt.

q) Ptyalismum Scorbuticorum descriptit egregius hujus morbi Ob-

ditur; haud raro per excretiones alvinas vel cum, vel etiam sine ventris tormine; sed frequentius nihil est, quam sanguinem per putrida crurum ulcera profluere.

Cum vero ad summum culmen perventum est, saepe alii gravissimi morbi, ut Icterus, Hydrops, Putridæ febres, Dysenteria & Melancholia, Scorbuto ad sociantur; oboritur tum gravissima Dyspnœa cum respiratione laboriosa; & interdum, quod micum est, costarum inter spirandum crepitus singularis non tantum sentitur, verum etiam auditur r); Petechiae conspicuntur; Sudor foetidus copiose prorumpit: Sangvis atramenti nigritiem contrahit & brevi in serum corruptum dissolvitur; Urina redditur loturæ carnium similis, vel sanguine mixta; crebra animi deliquia vel minimum motum interdicunt; corporis calor ita minuitur, ut aliquot ante mortem dies omnia membra frigida sint; quibus tandem miseriis mors, ultima linea rerum, finem imponit.

Recensitis sic Scorbuti signis per tria, quæ habet, tempora, haud alienum spero, maxime memorabilia, quæ in cadaverum dissectionibus occurunt repetere, ut nihil relinquatur, ex quo morbi genium & effectum cognoscere queant artis tirones. Ab initio igitur notandum, Sanguinem Scorbutorum ut in ultimo stadio, ita etiam in dissectis mortuis, atramenti instar, esse nigrum. Pulmones lividi plerumque & nigro sanguine oppleti

B

observator Lind l. c. sed utrum verum symptoma, an ex sumptis antea Mercurialibus veniat, dubius hæret. Salivæ tamen fluxum in Scorbuto saepe symptomaticum, interdum criticum esse affirmat Ræper in disert. de Salivatione critica in morb. ac. & chron. Vide Hall. coll. Diff. Med. T. 1. Etiam frequens & summe perniciosum symptoma esse affirmat Rouppe l. c. p. 138 inter eos, qui fumo Tabaci sorbendo vel herbam inasticando delectantur.

r) Rouppe p. 142. & cuius causa procul dubio est costarum & cartilaginibus suis spontanea solutio.

oppletii, & resecta eorum portiuncula in aquam projecta fundum petit s). In pectoro & abdomen viscera, imprimis Cor, Spleen & Jecor in insignem molem aucta, t) quoad colorem & consistentiam mutata, indurata vel putredine confecta; nec non in cavo ventris aqua foetidissima & ichorosa effusa, invenitur. Apertis cultello genuum articulationibus, foetidi Ichoris quædam copia prosilit, cuius color subviridis, rodendi autem vis tanta est, ut, simul cum continente capsula, cartilaginiæ & ossa exedat: & in junioribus subjectis epiphyses ab ossis media parte solutas fuisse, haud raro observatum est. Ceterum musculosa caro, quanta quanta est, in putridam adeo labem mutata fuit, ut digitis facilime disrumpi posset; unde corpora mortuorum, ne intolerabili viventes odo-re infestentur, oxyssime humo obtegi vel maris fundo demergi debent.

§. IV.

Cum in antecedentibus signa Scorbuti vera & diagnostica levi penicillo adumbraverimus, sequitur jam ut vitium hoc, a cœteris deformibus, quibuscum multa habet communia, paucis verbis discernamus, & si qua specialis sit varietas, obiter indicemus. Est vero Scorbutz morbus deformis, decolor, lassitudine præcipue matutina, Stomacace & dentibus in alveolis suis vacillantibus, conspicuus t). Hæc definitio, morbo adprime convenit & unanimi fere Medicorum consensu est recepta, sed in Specierum distinctione magna auctorum semper fuit dissensio. Nimirum ex tanta observationum farragine ab Eugaleni tempore

s) Rouppe p. 152, 154.

t) Pringle in appendice ad Tract. Diseases of the Army: per novem in Scorbuteis institutas dissectiones convictus est, viscera insigniter increscere, ubi humoribus putridis corpora laborant.

t) Illustriss. Præsidis Gen. Morb. N:o 223.

tempore in hunc usque diem acervatim collecta, pluri-
ma adoptata sunt symptomata, atque pro diacriticis ven-
ditata, eaque, ratione caussarum occasionalium, saepe si-
bi contraria, ut Scorbustum in suas species discernere
Medici necessum duxerint. Sic Scorbustum in bæredita-
rium vel adventitium; latentem vel manifestum, mitem vel
malignum; non contagiosum vel contagiosum; acidum vel
alcalecentem, calidum vel frigidum; terrestrem vel mariti-
num; imo Anglicanum vel Belgicum u) non rei natura,
sed Medicorum quorundam distinxerunt præjudicia. Fi-
etas ejusmodi distinctiones refutare, inutile foret, cum
pleræque jam in desuetudinem abierint, & unicuique
in Medicina paulum versato pateat, Species morborum
a caussis evidentibus unice esse constituendas: ne tamen
quid neglegatum videatur, communissimas auctorum
distinctiones breviter examinare luet. Sic Scorbustum in
terrestrem & maritimum satis inepte dispescitur, cum Sym-
ptomata diagnostica non solum utrobique apprime conve-
niant, verum etiam ab iisdem orientur caussis, iisdem
que debellentur remediis. Scorbustum *calidum* a *frigido*
ita disjunctum nonnulli volunt v), ut illum cum inflam-
matione, sine phlogosi hunc adesse, statuant. Sed verus
Scorbustus semper fere pulsu proditur accelerato, & sic
in subiectis junioribus, floridis, laute viventibus, febri
quadam stipatur, ut *calidus* merito dici possit; quin et-
jam

B 2

u) Ineptas has distinctiones, Willisio debemus, eorumque nume-
rum adseclæ ejus auxerunt; sic *Charleton* Scorbustum dividit in ran-
cidum, insino fixum & acidum; *Blancard* in frigidum & calidum;
Gideon Harveyus Scorbustum *Oris*, *Tibiarum* & *juncturarum* seorsim
tractavit; ut ceteros taceam ineptias, insufficientem hujus mali prodentes
cognitionem. Fusiorem harum collectionem exhibet Biblioth. *Lindiana*.
v) Eos inter novissime numerari potest *Home*, licet diacritica signa
calidi & frigidi non adjunxerit & in prognosi & cura unicam quasi
speciem tractaverit- vid *Principia Medicinae*, Cap. de Scorbuto.



etiam in omnibus stadiis, febres huic malo putridæ ac lentæ adjungi solent; Scorbuto autem frigidus, major est mali Hypochondriaci gradus, ab *Eugaleno* primum cum genuino Scorbuto haud congrue commixtus; quem dein sectatores ejus ad hunc usque diem cum Scorbuto confundere solent *x*). Quid autem de Scorbuto *al-*
calefaciente vel *acido* sit censendum, non ratiociniis solum, sed experimentis dilucide explicavit *Cl. Pringle* *y*) Etenim unicam tantum speciem Scorbuti agnoscit, nempe ab humorum muriatica putredine, quæ & ab alcalina & acida indole toto cœlo discrepat; & rejectæ insuper opinionis hanc rationem reddit, quod medicamenta antiscorbutica omnia fere alcalina esse putantur, unde Autores Scorbuti causam forte acidum esse crediderunt, quippe quod ab alcalinis remedii potissimum subjugatur & infringitur. Nos igitur morbum hunc potius secundum certa ejus tempora vel stadia §. 3. discernimus, utpote quæ ratio ad Diagnosin pariter atque curam rite instituendam plurimum valet.

§. V.

Ad causas Scorbuti indagandas dum transcendimus, occasioales primum enumerare animus est, ex quibus proxime Scorbuti caussa, tanquam ex fontibus rivulus profluit. Ordine igitur ut progrediamur, Diætam, vel sex res, sic dictas, non naturales contemplabimus, atque quomodo errores in his committi, corpora ad Scorbuti labem prædisponere possint, dispiciemus.

1:o *Aër frigidus* humani corporis fluida ad muriaticam dissolutionem & solida ad nimiam rigiditatem disponit *z*). Ubi vero simul adjuncta est humiditas, quæ, præ-

x) *Lind* hanc fallaciam optime detexit p. 48.

y) In appendice Tractatus de morbis castrenis, ad finem Experimenti 48.

z) Illustr. Præsidis Clavis Medicinæ pag. 8.

præcipue poros obturando, excretionem cuticularem impedit, ut ex Sanctorianis observationibus constat; mirum non est, quod non tantum inter Climatum frigidorum incolas, verum etiam inter nautas in pelago *a*), & milites in castris, nec non inter pauperes, qui ex inopia frigent, Scorbustus crudeliter sœviat *b*). Frigus igitur in genere valida est Scorbuti causa procatartica: sed unice tamen, sine ceteris causis, postea commemorandis, Scorbustum minime excitat, quod Lapponum in primis experientia docet *c*).

2:o Ingesta particulas corporis, quæ motu dissipantur, continuo refaciunt. Sed ut corpus sanum sit & vegetum, alimentum quoque congruum esse oportet; nam a cibi potusque qualitate, humorum indoles, & ab hac sanitas maxime pendet. In regionibus, ubi vegetabilibus solis, vel carnibus simul recentibus vivitur, Scorbustus admodum

B 3

dum

a) Sequentia ex *Rouppio* observata addere lubet. Tres effimi possunt gradus, inquit, qui ad Scorbustum producendum quam maxime inserviunt: 1) Quando incipit frigus & Mercurius in Thermo metro Farenheit. 20 gr. e loco, quem aestivis tenuit diebus, descendit; quacunque id fiat in regione. 2) Quando Mercurius intra illum incipientis & congelationis gradum itat, atque aer humidus est.

3) Quando Mercurius infra gradum congelationis notabiliter descendit atque ibi hæret. Tribus his gradibus consuevit grassari Scorbustus.

b) *Rouppus* asserit, semper observatum esse, quod homines a Scorbuto immunes manerunt, quomdiu haec evacuatio iite atque libere successit, & simul ac quacunque de causa, saluberrima illa evacuatio impedita vel sufflaminata fuit, statim in lucem prodisse Scorbuti symptomata. Exempla hujus rei præbent naves, quæ quotannis versus Insulas S. Eustachii & Curaçao velificant. Etenim si quidam inter nautas Scorbuto jam affecti sint, ut in nave, *Prinseesse Carolina*, vidi, nempe antequam navis ex patria sit egressa, atque ad Tropicum appropinquet, sensim evanescit morbus; contra, si ex Indiis patriam versus tendunt nautæ frigusque incurrunt, plane contrarius resultat effectus p. 118.

c) Apud hos enim Scorbustus prorsus est ignotus.

dum est infrequens; contra, ubi alimenta quæcunque muriatico salea corruptione servantur malum hoc haud raro homines adfligere solet. Muria enim, quam partim ciborum condimentum, saepe etiam ad arcendam e carnis, piscibus, ceterisque alimentis, putredinem, adhibemus, humorum massam insigniter penetrat, sanguinis tenacitatem dissolvit atque gluten solidis adhaerens abstergit; & si justo copiosius vel diutius consumitur, vis ejus abstergens in corrodentem mutatur. Huc accedit insignis illa durities, quam alimentis infert muria, & quæ Ventriculi & Intestinorum vim eludens, ad succum nutritium corrumpendum & humores depravandos haud parum confert. Hinc in longis per mare itineribus, ubi carnibus & piscibus salitis, caseo salito & patrido, nec non butyro rancido præcipue vescuntur nautæ Scorbutus ut plurimum fævitiam suam exercet: nec eum effugiunt pauperes nostrates sub annonæ caritate, vel alii, per totam fere hyemem, carnibus & halecibus sale conditis visitantes. Huc etiam vegetabilium esculentorum penuria merito refertur, quamvis eorum defectum Scorbutus non semper & necessario sequatur. Gentes enim haud paucæ e. g. Lappones, Islandi, ceteri, per octo fere menses quotannis, sine vegetabilibus, sani ac fôspites vitam degunt, dum alii, quibus magna vegetabilium suppetit copia, morbo laborant ^{d)}. Alimenta vero vegetabilia iis non tantum salutaria, sed summe quoque necessaria esse judicamus, qui falsamentis vivere coguntur. Nam Diathesin muriaticam, quæ ab incongrua dieta progignitur, plantarum succi optime diluunt

^{d)} Tam defectus Vegetabilium per sat longum tempus innoxii, quam Scorbuti ad copiam vegetabilium fæventis, effectus aduluit Lind p. 91. Sic etiam Scorbutum, qui jam per longas invaluit moras, filtere non potest cibus recens & eupeptus. conf. Anfon Voyage.

diluunt, infringunt, & per omnes excretiones, lotii vias præcipue, evacuant e).

3:o Motus ad sanitatem conservandam æque necessarius est, ac alimenta ad vitam sustentandam. Omnis vero exercitatio humorum circuitum auget, calorem promovet & excretiones omnes, præcipue vero perspirationem per cutis poros, sublevat; unde particulæ in sanguine nidulantes, acres, falsæ, aut in putredinem vergentes, foras ejiciuntur. Ejus ope non tantum ventriculus & organa chylopoietica roborantur, verum etiam tonus partibus solidis conciliatur. Hinc facile patet, quanta sit ejus necessitas omnibus, iis vero in primis, qui cibo falso, duro & concoctu difficiili vitam sustentare coguntur; aut qui vel minimam latentis Scorbuti suspicionem produnt. Quamdiu enim quotidiana contentione, corpora ad sudorem usque exercent, tamdiu etiam a Scorbuto sunt immunes, quemadmodum nautarum, remigum & fabrorum in officinis ferrariis docet experientia f): Cum vero vel labores fugiunt otiosi, vel etiam negotiis, quibus corpus fortiter movetur, occupari non possunt, ut milites in castris vel navibus g) sartores, textores, Aulici, Eruditi, & nihilominus salsamenta continue

e) Vide *Listeri* exercitationes Medicinales: de Scorbuto.

f) Sal per sudorem & urinam e corpore eliminari extra omne dubium est. Attentione sane dignum, (ait sæpe laudatus Lind) quod salia quæcunque, in machina humana, quoad naturam commutantur, & in homogeneam seu Ammoniacalem abeunt, excepto sale murintico, quod omnes tam fluidorum quam solidorum vires eludere videtur. Etenim indolem suam in corpore jugiter servans, sine ulla mutatione per destillationem ex urina obtinetur, si quis aliquam salis portionem comedit. p. 88.

g) Inter septem Scorbuticos in nave periclitantes, quatuor ad minimum fuisse milites, observavit Rouppe. In classica expeditione Illustr. Auson. plurimi milites Scorbuto moriebantur, quippe qui in nave laboribus occupari non poterant.

tinue & avide devorant, fieri non potest, quin a tenta in corporibus acrimonia salina, Scorbustus acceleretur.

4:o *Animi pathemata*, ut sunt terror, metus & tristitia, Scorbuto occasionem quoque dare Medici observant b). Scorbutici, ut pusillanimi & ad hypochondriasis proni, (§ 3) a levi caussâ torrentur, vel in tristitiam incident. Quod hi etiam adfectus ad Scorbuti genesis quidquam conferre possunt, iis paradoxon non erit, qui terrore vel tristitia excretiones in humano corpore impediri novetunt.

Causam igitur Scorbuti *proximam* in Acrimonia salina unice confistere ex dictis constat. Etenim ex memoratis caassis, una vel pluribus, particulis salinis, mox stimulantibus, dein rodentibus, oppletur sanguis & dissolvitur; unde vascula tandem tenerrima exeduntur, &, ubi longas malum habuerit moras, totius Machinæ, sensim præparatur interitus.

§. VI.

Cognito morbo, ad ea quæ juvamen adferunt, properamus.

Stadium Ium. Atque adventanti quidem Scorbuto occurrit iis, quæ humores corporis blandos, puros atque dilutos reddunt, ratione simul habita Diætæ seu causarum occasionalium. Hinc protinus danda sunt lenia alvum ducentia, dein succi herbarum recentium propinandi, in quibus contra Scorbutum, maximum est præsidium. Sunt vero hi ex Cochleria, Nasturtio hortensi, Cardamine pratensi, ceterisque ex Tetradyynamistarum ordine; Acetosa, Beccabunga & Tropæolo, qui vel per se, vel lactis sero mixti, sumuntur. Cui firmi-

or

b) *Huxham* in appendice ad Essays on fevers. Rouppe l. c. & in primis *Anson* Voyages round the world. p. 143.

er stomachus est, Cochleariam crudam & Erysimum barbaream (Winterkraffe) comedere, non sine emolumen-
to potest. Sed si recentes herbæ haberi non possunt,
ut hibernis mensibus apud nos accidit, conservæ anti-
scorbuticarum herbarum, quæ in officinis prostant, de-
fectum supplere possunt. Quibus, si aliquantulum Cor-
ticis Winterani additur, Stomacho forte magis conveni-
unt i). Prodest quoque lac omnis generis, sive ebu-
tyratum, sive puram, recens, idque vel asinimum k),
vel caprinum l), vel, si ea non adsunt, bubulum m).

C

Sangvi-

i) Cortex Winteranus, qui etiam sub nomine Canellæ albæ in officinis prostat, sapore aromatico præditus, Ventriculi vires insig-
nitus auget & Scorbuto maxime resistit, teste Hermanno in La-
pide Lydio, quippe qui nautas, in expeditione navalii a Wintero
instituta, non tantum a morbo immunes præstisile, sed etiam inver-
teratum depulisse malum, traditur.

k) Hippocrates in Ilio magno, lac asinum coctum cum melle,
præscriptis. *De intern. Affect.* p. 546. edit. Fæsii.

l) Lac caprinum commendat Lind. p. 245.

m) Egregium Lædis usum in Scorbuto confirmat Hautesierks in
Observations de Medecine des hospitaux militaires; cuius verba, la-
tine redditæ, adferre haud piget: De præsentia acrimoniæ singula-
ris in Sangvine Scorbutorum convicti, concludimus illam cum
Diathesi muriatica esse intime nuptam, ideoque Scorbuti causam
proximam efficere. Hac theoria dueti, curam per mundificantia,
demulcentia & incrassantia instituere conati sumus, & ex voto res
succeſſit. Nam ubi decantata antiscorbutica spem fustraverunt,
mane ægroto dedimus lactis vaccini uncias sex, & prandii loco,
portionem Oryzæ in lacte coctæ, idemque ad cœnam. Pro potu
ordinario præscriptissimus Fumariæ tenuem infusionem, & ad os col-
luendum Spiritus cochleariae drachmam, cum decocti Nasturtii Un-
ciis tribus, mixtam, porrexiimus. T. I. p. 324. Vide etiam Hoff-
manni *Med. rat. Syst.* T. IV. p. 29. Quin etiam, cum in Lapponia
Scorbatus graviter affligeret Monticolarum plurimos, qui initio
hujus Seculi e Germania, ad res metallicas ibidem tractandas,
vocati erant, & se a Lapponibus magica arte vexatos putabant, om-
nes, quotquot hoc morbi affecti fuere, sanavit vetula in pago He-
den, idque solo lactis usu protracto.

Sangvinem optime mundificat Serum lactis, succo citri vel Cremore tartari paratum, præprimis, si per longum tempus, usum præbet quotidianum. Juvant etiam in hoc stadio lenia sudorifera, quibus cutis spiracula servantur aperta. Optima vero sunt, quæ ex Sambuco ejusque floribus aqua præparantur infusa. Pauderibus & quibus jam laudata remedia nimis pretiosa sunt, sufficiant Insula Rad. Armoraciæ, Raphani sativi, Herbæ Trifoliæ aquatici & Fumariæ, per aquam vel tenuem cerevisiam confecta; vel Decocta ex Radicibus Britannicæ & turionibus Pini. Iis quoque Allia atque Cepæ frequenter sumtæ, & trito cum aceto Sinapi condita proflunt alimenta. Non defunt quoque exempla optimi successus ex Decocto antiscorbutico, quod auctorem *Bellovi-um* in castris Poloniæ p. m. Regis Caroli XII, medicum famigeratissimum agnoscere putatur, qui ejus ope, Scorbustum ab exercitu Svecano profligavit. Paratus vero hoc ex herbæ Sedi acris recentis uncia, quæ in libram cerevisiæ infunditur, & cuius unciae tres simul propinantur u). Dulcamaram quoque insigni laude contra Scorbustum extollit Cl. *Sauvages* o). Sed Diætam ægroti ordinare maximi est momenti. Vivat hic in ære calore temperato, vel si ejus oportunitas non est, vestimentis tamen bene sit munitus. Desidiosam vitam effugiat, ac salsamenta imprimis, & quævis concoctu difficultia, vitans, recentibus, quantum fieri potest, Vegetabilibus vescatur.

Sta-

u) Dum Captivos e Moscovia Svecos in patriam reduces Scorbustus pessinus infestaret, vetulam aliam, Carolicoronæ, infectos omnes sanasse refertur, ope Tonniæ unius Turionum pini, sedi acris tonniæ octavæ partis, nec non Aluminis unciarum duar. cum semisse. Mixta hæc coquebantur in aqua & ægro unicuique libra quotidie bibenda porrigebatur.

o) Act. Paris. A. 1761. p. 53.

Stadium II:um. Sed aliam Scorbutus jam inveteratus curam postulat, qui lenta remedia & segnes Medicos prorsus repudiat. Huic igitur cum leniora vix sufficiant, ad validiora, quæ putredini resistunt, simulque corporis colatoria aperiunt, refugiendum est. Eminent inter hæc, quæ lotii fluxum promovent, ut Allia, Cepæ, Porri, & in primis Scillæ Radix: illa variis cibi generibus apte miscenda sunt: hæc vero Medicamenti instar, caute & ad granorum aliquot pondus quotidie est porrígenda. Putredini vero maxime resistunt, atque alimentorum pravitatem emendant acida fere omnia, e vegetabilibus præcipue expressa, ut Succus Citrorum, Malorum Aurantiorum, Limonum, qui, cum ad protractum usum recentes & a situ liberi servari nequeant, coctione ad Syrupi consistentiam inspissari possunt & in lagenis probe obturatis excipi, ut docet *Lind p.*) His vero in vehiculo aquoso dilutis, pro potu ordinario ægrotis porrígere necessum est. Si vero hæc non adiungunt, nec comparari possunt, acida mineralia, ut Spiritus Salis vel Vitrioli & ex his parata Elixiria Vitrioli varia, acida, defœtum suppleant. Sed ante omnia diæta ægroti erit corrígenda. Proscribenda sunt omnia salsa, corrupta, pingvia, dyspepta, hisque substituenda vegetabilia, radices & herbæ recentes, fructus horæi, ut sunt Mala, Pyra, Pruna, Cerasa, cetera, præsertim recentia, vel si hæc haberi nequeunt, siccata. Sic in viñtus ratione potius quam in medicamentorum farragine, tutissimum queritur præsidium. Interdum etiam Corticis Peruviani usus commendatur, in primis ubi Ulcera cruda puris benigni beneficium non admittunt. Cetera, quæ ad eo-

C 2

rum

p.) p. 207. Hnic usui magis inservit succus citri vel acetum frigore concentratum, cuius præparandi modum docet Pharmacopæa nostra Svecica p. 55.

rum curam pertinent, hoc adferre supervacaneum ducimus, cum otium nobis factum sit in Dissertatione de *Ulceribus A:o 1769 a nobis heic edita ac defensa* *). Scorbustum vero purgantia fortiora ægre admittit, sed, ubi opus est, lenia semper postulat. Venæctioni quoque heic raro locus est, ut *Eugalenus, Grainger & Lind*, multa edicti experientia, confirmant.

Siadum III:um Sed longe difficilior cura est, ubi Scorbatus, ad summum culmen proiectus, morbis aliis gravioribus feso adjunxit; quod enim congrua Diæta non suppeditat, id a Medicina frustra exspectatur. Symptomata tamen mitigant remedia jam exponenda. Si sanguis e naribus, ore vel quademcumque parte profluens, interitum ægro exhausto minatur, acida mineralia diluta, guttatum & sape dari debent, hisque reæte adjungitur Cortex peruvianus, vel forma pulveris, vel ex vino rubro decoctus. Si vero Dysenteria, gravissimum illud Scorbuti symptoma, urget, caute mercandum, ne vel salutaris forte evacuatio nimis cito sistatur, vel protracto morbo æger succumbat. Protinus igitur Rhabarbaro humores irritantes teste evacuantur, dein lenia adstringentia, opio mixta, dolores mitigant & intestina roborant. In graviori casu paululum Aluminis haud incongrue datur, sed parca manu, & electuariis adstringentibus, ut Theriacæ vel Electuario Fracastorii additum. Ipecacuanha Spiritu Vini infusa usu se comprabavit egregio in Nosocomio navalí ad Port Mahon ^{q)}; neque hoc in dubium vocabit, qui & Ipecacuanhæ vites in Dysenteria & Spiritus Vini eximiam in acaris necandis virtutem perspexit. Ubi vero dirus Hydrops Scorbustum excipit, evacuantia quævis, præcipue vero Diuretica, tentari debent. Scilla vel allio tum o-

pus

^{q)} Expertus est Chirurgus Christie & Lindio speruit p. 258.

^{*.)} Sub Praesidio Exp. D. D. & Adj, Acrell.

pus est, adhibitis interea remediis e regno vegetabili, in primis quæ a Radice armoraciæ, Raphano vel Sedo contra Scorbustum laudantur. Sed hæc omnia in summo Scorbuti gradu parum proficiunt, siquidem cauſſæ, quæ morbum exitarunt, ægre admodum removentur; quapropter omne feret punc̄tum, qui Diætam sanitati contrariam tempestive mutare potuerit.

§. VII.

Restat jam, ut paucis differamus de modo, quo Scorbutus in castris, navibus & ceteris locis, ubi frequens & simul fævus esse solet, averti queat. Quemadmodum vero, ut antea diximus, cauſſæ mali præcipue vitiis Diæticis constant, ita Diæta ratio in Prophylaxi maxime habenda est. Moderata aëris temperies ante omnia eligi debet, & qui in frigore vel humido aëre diu vivere coguntur, vestimentis a gelu & pluviis corpora munitant. Vegetabilia, quæ per aliquot tempus succum incorruptum servant, ut Poma, Mala Citri & Aurantiorum, nec non cepæ, allia, porri, cetera, vel condimenti instar, vel loco medicamenti, dari possunt. Inter alimenta quotidiana adhibenda sunt herbæ oleraceæ ut Portulaca, Laſtuca, Spinacia, Endivia, Rumex patientia, cetera, quæ omnia, sale condita, optime in diuturnum usum servantur. Cucumeres quoque sativi & imprimis Brassica capitata, sale condita (Surkål*) inter omnia egregio suo usu eminent, quibus ob exploratam contra Scorbustum virtutem, in navibus, Indias potentibus, nunc communissime vietitare moris est. Nec minor prudentia in potu quam in cibis requiritur;

*) Brassicam in navigatorum usum Sale condire & servare optime docuit *Du Hamel du Monceau* in Libello: *Moyens de conserver la santé aux Equipages des Vaisseaux* p. 177. & sequ.

nam aqua corrupta & putrida, quam sub longo itinere bibere nautæ coguntur, si scorbutum non facit, malum tamen insigniter exasperat. Sanitati potius convenient Vina dulcia, pro potu continuo, aqua diluta; Succi pomorum fermentati; (Cider) Cerevisia, sive mera, sive herbis antiscorbuticis & in primis Turionibus Pini condita (Tallstrunt-öl). Sed præstantius in hunc usque diem nihil inventum est potu illo, ex Malto, aqua cocta superaffusa, parato, cuius inventionis gloriam jure sibi vindicat Cl. Macbride, Chirurgus apud Anglos experientissimus r). Sequenti vero modo id parandum curavit. Sex libris aquæ ebullientis duæ libræ Malti infunduntur, mixta bene agitantur, per aliquot horas tecta reponuntur ac demum colantur. Hujus infusi malti duæ libræ non tantum Scorbuto laborantibus, verum etiam sanis quotidie dare jubet; sed a parva dosi ad majorem ascendere oportet. Alvum movet &, propter blandam vim, hoc remedium ceteris omnibus, etiam vegetabilibus recentibus, auctor anteponit. Ut vero excellentissimum hoc & generi humano utilissimum subsidium experientia quoque confirmemus, particulam Litterarum Clar: Forster, quas nobiscum communicare Illustr. D. Præses dignatus est, heic adferre lubet s) Tantum autem valuit hoc potionis genus in Itinere, quod ad Terras australes incognitas instituit Cl. Forster, ut, per triennium, nautarum nullus Scorbuto peri-

r) In libro: *Experimental Essays . . . on the Scurvy, with a proposal for trying new methods to prevent or cure the same at Sea. Lond. 1764.* Scorbuto a defectu aëris fixo in corpore humano oriū auctumat noster, ideoque non tantum Infusum Malti, quod in corpore effervescentiam subit & aërem fixum generat, sed etiam Salia Alcalina fixa cum acidis maxime commendat.

s) Dat. d. 4. Cal. Aug. 1775. Cum nonnunquam ultra viginti hebdomadas in mari procul terra vagaremus, nec quidquam aliud

periret, sed, quod mirum est, duo tantummodo nau-tæ, unus infelici calu & alius Phtisi, morirentur.

Ceterum, qui Scorbuto opportuni sunt ad serios corporis motus sunt compellendi; iis vero qui morbo jam laborant, exercitatio caute instituenda est, ne illico suffocentur, cujus rei tristem experientiam adferrunt *Lind & Rouppe*. Motu quoque membrorum, præcipue ambulando, contrastrata genuum præcavenda. Aër in continentis salubris mirum in modum corpora reficit, & non tantum Scorbutum pellit ^{t)}, verum etiam homines a morbo immunes præstat, id quod navigatorum exemplis quotidie confirmatur.

*** *** ***

nisi carnes falsas comed'eremus, neque nautæ tempore pluvio & ventoso per complures dies vestes mutare madentes possent, tamen vix unus & alter Scorbuto laboravit; quod unice adscribendum quod neuris una cum carne, Brassicæ oleraceaæ capitatae fermentatae portio distribueretur pro cibo, deinde si quis symptomata Scorbutica & ingruentis signa morbi haberet, illico ei quotidie infusum Malti, unde Cerevisia fieri solet, recens propinabatur; & si jun morbus obstinatus quemquam invaserit, usque ad 4 vel 5 libras per dies ei porrigebamus &, mirum dictu, vidi homines misere affectos Scorbuto, brevi spatio convalescere, quum nullum aliud præter infusum Malti illis daretur remedium. Nam vero mea quidem sententia & experientia tesse, Brassicæ fermentata per triennium & plus quam novem mentes optime conservata fuit, & hodie cum hæc scribo, hujus fermentatae aliquid pro prandio comedì cum aliis cibis, id que erat optimi & grati saporis, adeo incorruptum, quemadmodum id fuit cum in navem primum imponeretur. Maltum per triennium optime in dolis servavimus, at tertio anno pars aliqua mucore corrupta erat. Brassicæ fermentatae 60 dolia in navem fuere imposita & Malti tantum undecim, verum maxime capacia.

^{t)} Num ad Insulam *Tinian* (inqvit) nautæ nostri pervenerunt, aëris terrestris salubritatem illico experti sunt: nam cum in Pelago intra bivium 21 homines moriebantur, nunc quādiu in Terra degimus, 10 tantum morbo occubuerunt. *Anson Voyage I. c.*

Corrigenda & addenda:

Pag. 8. l. 12, leg. & mœulis flexoribus clausis, tali versus &c.
Pag. 9. l. 4. adde: *III;um Stadium.*

